



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Candidissimi Ordinis Præmonstratensis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, Anno M.DC.XXV.

Praeclara Qvaedam Summorum Pontificum de Praemonstratensi Ordine
Elogia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37161

PRÆCLARA QVÆDAM

Summorum Pontificum de Præmonstratensi
Ordine Elogia.

B. HADRIANVS PP. IV.



ATTENDENTES itaque quomodo Religio & Ordo
vester, CUIVS NOS ALVMNVS ALIQVANDO
FVIMVS, multâ refulgens gloriâ meritorum, &
gratiâ redolens sanctitatis, palmites suos à mari
vsque ad mare extenderit, &c.

IDEM HADRIANVS.

SICVT in humano corpore membra plurima esse digno-
scuntur, & alia in maiori honore habeantur, quoniam
pro excellentiâ suâ dignitate sunt chariora; ita in Corpo-
re CHRISTI, quod est Ecclesia, plurimi sunt ad laudem &
honorem Domini congregati; quidam tamen propensius
in ipsius laudibus & seruitio commorantes, sicut membra
excellentiore in Corpore CHRISTI numerantur, &
sunt quasi Luminaria in firmamento Coeli, quæ terre-
nos illuminant, & ad CHRISTI seruitium proprij vn-
guenti odore student alios attentius prouocare. Vos au-
tem Filij in CHRISTO charissimi, quoniam de illorum nu-
mero Vos esse cognoscimus, sinceræ affectu diligimus
charitatis, & vestris iustis postulationibus gratum volu-
mus exhibere consensum, vt tanto feruentius in Domini
vineâ laboretis, quanto apud Matrem Sacrosanctam Ro-
manam Ecclesiam maiorem gratiam senseritis inuenisse.

ALEXANDER PP. III.

OMNIPOTENTI DEO à quo vniuersa bona proce-
dunt, gratiarum referimus actiones, qui Vos in vni-
tate

tate Catholica conseruauit, & non permisit schismaticâ pollui prauitate, licet enim schismaticorum præsumptio diuersis vos calliditatibus & mendacijs à deuotione S. Petri & nostra, retrahere niteretur; uestra tamen discretio illorum iniquitatem studuit euitare, & unitatē Catholicam conseruare. Quod siquidem gratum & acceptum tenentes, & uestræ fidei constantiam & sinceritatis affectum in Domino plurimùm cōmendantes, gratias quas debemus uobis referimus, firmum propositum & firmam uoluntatem habentes, personas & Ecclesiam uestram merâ cordis affectione diligere, & internæ dilectionis brachijs amplexari, & iura ipsius illaesa & integra conseruare.

INNOCENTIUS PP. IV.

SAne mundo celebris, & supernis grata ciuibus, sacra Religio Præmonstratensis Ordinis, à suæ plantationis initio Regis æterni fuit habitaculum, uirtutum splendoribus illustratum, quod semper honore proficiens & honestate cōcrescens, generalis Ecclesiæ decus extulit, & decorem multimodis ampliauit. Ex hoc enim Nos spiritualem in Domino lætitiā consequentes, affectu pio de ipsa Religione concipimus, ut nostræ prouisionis auxilio, eius robur & pulchritudinem augeamus: ita quòd ipsa in domo Domini contra tentatoris impetū & turbinem uitiorum, sit quasi Turris eburnea, uirtutum munita propugnaculis, in qua lectum amœnæ quietis habeat ueri excellentia Salomonis, &c.

BONIFACIUS PP. VIII.

IN Ecclesiæ firmamento uester Ordo claro nitore coruscans, uniuersalem Dominici gregis aulam illuminat, currentibus in stadio rectum iter insinuat, quo ad salutis brauium faciliùs peruenitur.

LAV.